

Nr. 24.

Q. D. B. V.

IESVM CHRISTVM,

*Ob peccata quidem nostra morti traditum,
Ob iustitiam vero nostram resuscitatum,*

ex Phil. II, 5. seqq.

INTERPRETE

IO. LIBORIO ZIMMERMANNO,

S. THEOL. PROF. ORD.

NUPER PIE, SED EHEV! ACADEMIAE NIMIS MATVRE DEFVNCTO,

PRORECTOR

D. IOAN. HENR. MICHAELIS,

S. THEOL. VT ET LINGVARVM GR. ET ORIENTT.
PROF. ORDINAR.

VNA CVM

CANCELLARIO, DIRECTORE,
TOTOQVE SENATV ACADEMICO,
CIVIBVS

ACADEMIAE FRIDERICIANAE

IN

PASCHALIBVS FERIIS

PIE MEDITANDVM

PROPONIT ATQVE COMMENDAT.

clie.

HALAE AD SALAM,

TYPIS IOAN. CHRISTIANI GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.

IESAM CHRISTVM
OF MARY ANGELA MARY ANGELA
OF MARY ANGELA MARY ANGELA
ex TYP. II, 1700.
INTROITIA
IO. 13.9.10. SIMMERMANNI
S. THEOD. PROE. ORD.
MISERICORDIA, SUD EPISTOLAE ACAD. MARYANAE DELIANO
PROFESSOR
D. IOAH. H. WICHELI
S. THOMAS KETTLELLACUM SE. TOLINTON
PROFESSOR
CIVILIS
ACADEMIAE ARISTOTELIANAE
CVNCILLARIO, DIRECTOR
TOLLOAE SENATA ACADEMICO
CIVILIS
ACADEMIAE ARISTOTELIANAE
IN
PASCHALIBAS LETTERS
THE MELUNIANA
PROLONAT A TOTVS COMMUNITAT
HALLAE AD SANCKW
TYES IOAH. CHRISTIANI GUNTHERI, ACAD. TYPOG.
1700.



Vem nuper gloria carentem
pauperrimumque, grandi calamitatum onere op-
pressum, ligno tandem suspensum, vitam posuisse,
non sine magna mentis commotione adspeximus;
hunc mortis vinculis solutum vitam cum gloria resumisse, diui-
na conspicuum maiestate, vt caeli terraeque Dominum, vt eccl-
esiae Regem dignissimum, laetabundi iam cernimus ac veneramur.
Eum intelligimus, quem D E V S Pater sapienti ac aeterno tra-
dendum confilio, & ad dextram suae sedis euchendum, sibi de-
legit, IESVM CHRISTVM, humani generis longe dignissimum
Redemtorem. Mysteriorum sane plena res est, quae vt in sui nos
rapiat admirationem, in primisque attentam considerationem,
omnium maxime meretur. Id quod cum maxima fieri cura omnium
tanto magis interesse debet, quanto magis nostram in hoc CHRI-
STI exemplo caussam agi cernimus ac contemplamur. Etenim
propter nostra eumdem morti traditum peccata, ac propter no-
stram resuscitatum esse iustitiam, Paulus Apostolus auctor est,
Rom. III, 25. Vnde, quae nostra sint in CHRISTO recondita
redemptionis, iustitiae & pietatis iniuncta fundamenta, a nemine
non animaduerti facillime potest. Et haec sunt, quae penitus
euoluere ac introspicere, qua fieri potest, breuitate conabimur.

Non aliunde autem mysterii istius tanti detectio rectius,
quam ex sacrarum litterarum decretis hauritur. Et in Veteri iam

Testamento hoc cum primis spiritui sancto curae fuisse, vt τὰ ἐις
χριστὸν παθήματα, καὶ τὰς μετὰ τὰῦτα δόξας, Prophetis significaret;
Petrus nos condonet i Petr. I, ii. cuius rei in Psalmo XXII, nec
non Ies. LIII. capite, testimonia sat luculenta deprehendimus.
Ex quo ipse post resurrectionem suam optimus Seruator ex scri-
ptis Mosis ac Prophetarum, & ex Psalmis, hocce sanctissimum sui
Patris decretum Apostolis declarat: οὐχὶ τὰῦτα ἔδει παθεῖν τὸν
Χριστὸν, καὶ εἰστελθὲν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ; Luc. XXIII, 44. 26. Quod
& Apostolos fecisse, idemque suis eadem ratione doctrinae cae-
lestis caput reclusisse, Acta Apostolorum variis in locis passim
testantur.

Cum primis vero ex illo, quo Paulus vberius rem istam Phi-
lippensibus ob oculos ponit, loco, quas habeamus in CHRISTO
salutis iustitiaeque diuitias prorsus singulares, paullo prolixius
considerabimus, Phil. II, 1. s. sqq. ita quidem, vt, quis dicti sensus
sit, primum euoluere, & quae porro ad nostrum vium inde con-
sequantur sapientiae caelestis momenta grauissima, declarare stu-
deamus. Et ab initio quidem statim Apostolo esse constitutum
patet, exemplum CHRISTI Philippensibus, quod in amoris fra-
terni, eiusdemque sinceri propriique commodi respectus expertis
studio, ad coniunctionem inter se vinculo firmandam indissolu-
bili, sequerentur, ad viuum depingere.

Haec sapiat quilibet, quae & CHRISTVS IESVS. Cum
quo si, quae v. 1. 2. & 3. habentur, conferamus, rationem mouen-
tem Paulum simul indicare grauissimam, deprehendimus, qua ad
consecutandum optimi Redemptoris exemplum Philippenses exhortari adgrediatur. Etenim sicut ipse erga nos eo animo fuerit, vt
summo amore ductus non nisi nostra salutem nostraque commo-
da spectauerit, dum pro nobis & nostro loco passus sit, debitum
que ad peccata nostra expianda λύτρον persolverit; ita, vt exem-
plum eiusdem, cui nomen dederint, non solum sequantur, sed
& amore illius summo, eximiisque benefactis, se moueri ad id
patiantur, inde merito consequitur: quemadmodum &, si eam-
dem viam sequi instituant, gloriae illius participationem, ae-
ternaque sperare praemia queant.

Exemplum CHRISTI autem ipsum statum illius, tum exina-
tionis, tum exaltationis, complectitur. Ad primum quod atti-
net, longe maxima & gloriosissima sunt, quae mortalium caufa
CHRI-

CHRISTVS sibi negauit atque deseruit. Etenim μορφὴ Θεός non externam adsumtam, aut accidentalem speciem atque formam, ut Marci XVI, 12. sed talem, quae naturam DEI ipsam pro fundamento habet, indicat; sic ut omnia, quibus ceu verus DEVS hominibus innotuit, iisdemque cognitus fuit, *forma* illa DEI intelligentur. Quod quidem tum verbo ἵπτεχω, veram & realem rei existentiam notante; tum opposito μορφὴ δέλε, qua ceu seruum Patris hominumque se reuera demonstrabat; tum denique locis omnibus veram & aeternam Seruatoris diuinitatem euincitibus, extra dubium collocatur. Nihil aliud itaque, quam δίξια illa CHRISTI diuina, qua inter homines est versatus, quam operibus fecit conspicuam, quamque viderunt id temporis mortales, Io. I, 14. c. II, 11. forma ipsius diuina indicatur; ita quidem, ut, quamvis ipsam essentiam diuinam & infinita attributa illius non quidem directe indicet, tamen connotet illa omnia supponatque. Qui enim formam DEI diuina gloria operibusque diuinis manifestam reddit, in eodem omnem habitare DEI plenitudinem necesse est. Col. II, 9. Quod & τὸ ἐναγκαῖον Ιησοῦς, eidem CHRISTO vindicatum, comprobat, quo quidem significanter perfectissima cum DEO Patre quoad essentiam & attributa diuina aequalitas designatur: quemadmodum ipse sibi eamdem ceu Filius DEI ἴδιος ac μονογενὴς vindicat, & aduersus incredulos Iudeos ex vero tuetur, Io. V, 18. Quumque aliis innumeris in locis eadem Filio infinita attributa operaque tribuantur, tanto minus ea de re dubitari potest. Quemadmodum vero de natura CHRISTI humana non nisi per communicationem quamdam hoc intelligendum fuerit; ita communicatio ista locum nequaquam habitura esset, nisi & diuina in CHRISTO natura simul existeret, per cuius cum humana vnionem personalem talis communicatio efficeretur.

Facile autem hinc intelligitur, quum tanta fuerit naturae CHRISTI humanae ob diuinam διάτεχνην, ut etiam plenitudo omnis DEI in ista habitaret, etiam eamdem in se spectatam egregiis donis ac praerogatiis praeditam oportuisse. Hinc enim existit, quod peccato omni inhaerente expers esset, quod donis insuper Spiritus sancti excellentissimis inungeretur, ut & inter homines pulcherrimus summoque honore dignus omnino censetur, & hominum, quorum in altissimo loco res constitutae sunt, regumque terrae gloriam & eminentiam ut competentem sibi induer-

re potuisset. Duplex itaque exinanitionis CHRISTI obiectum ex hoc consequitur, quorum alterum gloriam omnem & maiestatem diuinam; alterum eminentiam humanam, omnium principum excellentiam superantem, in se complectitur.

Ante vero, quam ipsum exinanitionis modum in CHRISTO Apostolus explicare instituit, fundamentum primum ostendit, vi cuius ad subeundum tam extremae depressionis statum semet ipse induxit. Cuius quidem parum quaeam sit ratio, partim quam habuerit eius rei caussam, explicatus tradit. Primum in verbis latet: *non rapinam duxit esse aequalem DEO*; quae quidem ut plurimum ita intelligi solent, quod CHRISTVS sua gloria se non ostentauerit, nec honoris ullum studium adfectauerit, ea ratione, qua populus victor praedam bello partam triumpho ostendere, seque iactare olim consueuerat. Conuenientius tamen textui & dictioni Graecae existimamus, si Paulum, quod non fuerit exinanitionis CHRISTI fundamentum, indicare voluisse adseramus. Nimirum non, ut praedator aliquis, qui sui sceleris sibi conscientia, non iure, sed rapinis comparata sua, quae possidet, bona reputat, ita CHRISTVS etiam, ut suam occultaret maiestatem, opus habuit, ut qui non falso, nec DEO demtam gloriam sibi diuinam vindicauit, sed ob personalem utriusque naturae unionem ita illam possedit, ut verus ipse DEVS simul exsisteret. Idque sequentia, quae oppositam rationem continent, confirmant, quando ex opposito Paulus dicit: *Ἄλλα ἔστι τὸν ἐπένδυτον μορφὴν δέλε λαβῶν, εἰ οὐ πάμπατε αὐθεόπων γενόμενος, καὶ χήραι τις θεοῖς αἰς ἀνθερωποῖς, ἐπαπεινώσεν εαυτὸν, σέ τε ipsum exinanitiuit, σέ τοιum humiliavit*: quo quidem, quod sua sponte proprioque motu CHRISTVS omnia fecerit, quod nulla alia inductus causa rationem eius rei mouentem in semet ipso habuerit, significauit. Conf. Io. X, 18. Quemadmodum vero, qui sua sponte aliquid facit, non nisi amore ductus ad id faciendum adgreditur; ita amorem quoque in CHRISTO sumimus, cum erga Patrem, cuius ad resarcendam ipsius gloriam voluntatem exsequi voluit, tum erga homines, quos saluos concupiuit esse, caussam fuisse unicam exinanitionis atque singularem, patet. Io. III, 34. c XV, 13. Quod tamen intuitu nostri peccatum, ex quo saluos nos fecit, ex parte DEI iustitiam illius vindicem & in peccatores animaduertentem, necessario supponit. Hinc est enim, quod Filio suo proprio DEVS non pepercit,

cit, sed pro omnibus nobis ob peccata nostra in mortem tradidit, Rom. III, 25. c. VIII, 32. Quibus ante constitutis, summa simul status exinanitionis necessitas adparet, sic ut absque illa nulla homini salus obtингere umquam potuisset. Aliter sensit s. BERNARDVS, Abbas Clareuallensis, Sermone XI. in Cantic. Non valuit, inquit, opus suum reparare Creator absque ista difficultate? Valuit; sed maluit cum iniuria sui: quo multae dilectionis debitorem hominem teneret, commoueretque gratiarum actionem difficultas redemptionis, quem minus deuotum fecerat conditionis facilitas. Cuiusmodi quid & b. IO. ARNDI o alicubi excidisse, notum est. Quae quidem, vtut ob virorum praestantissimorum sincerum animum & bonum finem excusationem mereantur, ferenda tamen & accipienda non sunt, quum & amori & iustitiae diuinae detimento sit, iustum quemdam & innocentem pro sotibus tradere, si id nulla exigat necessitas: quod tamen factum quum sit, ipso facto necessitas exinanitionis CHRISTI comprobatur.

Ad modum quod attinet, quo CHRISTVS gloriam maiestatemque suam depositus, duo momenta sunt, quae in describendo eodem nos Paulus condocet. Alterum est *ἥνωσις*, qua virtute diuina semet euacuauit; alterum *ταπείνωσις*, qua humana eminētia se ipsum abdicauit. Illa, quum ad ipsam diuinitatis possessionem referri nequeat, vt pote quod naturae diuinæ separationem quamdam & dissolutionem inuolueret, recte a Theologis nostris in abdicatione vñus plenarii attributorum diuinorum constituitur. Quemadmodum videlicet τὸν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος in CHRISTO inhabitabat; ita tum intellectu omniſcio, tum voluntate omnipotente se se euacuauit, vt reuera quid nesciret, non possetque illo tempore, quo DEI Patris honor, hominumque salus contrarium non exigebat, Marc. XIII, 32. c. VI, 5. 6. Quorū pertinet quoque, quod miracula perpetrare intermisserit omni tempore, quo rationes adlatae eadem non requirebant. Neque tantum diuinæ gloriae usurpatione CHRIS FVS se euacuauit, verum & in omnibus, in quibꝫ ut homo excellere potuisset, se depresum quam profundissime voluit. Hinc μαζῷ δέλδα adsumvit, legibus diuinis pariter ac humanis, quum legum ipse exsisteret Dominus, se subiiciens. Hinc sūrum seruum eundem Pater cognominat Ies. LII, 13. Hinc ad implendam omnem iusti-

iustitiam atque ius DEI, ab hominibus neglectum temere ac violatum, sese sanctificauit, Matth. III, 15. Gal. III.

Quorū & illud pertinet, quod infimae fortis se nascendum statu & educandum passus fit, quod vitam paupertate pressam, hominibusque humillimae conditionis communem, vixerit, quod hominum decretis, etiam iis, quae iniqua videbantur, obedientiam praestitit, Luc. II, 1. seqq. Quin immo eo vsque misero hominum generi similis existere voluit, vt & istorum *χηρα*, quo imperfectionibus variis & imbecillitatibus laborant, quatenus vitium istae non habent, induerit. Famem itaque & similitudinem, viriumque defatigationem saepius pertulit. Tristitiam & angorem, aliasque excruciantes animi commotiones, quae ad sentiendum peccatorum nostrorum reatum & iustissimum DEI iudicium necessariae erant, haud raro passus est. In quo eo vsque processit, vt mortalis etiam, quamvis non ex naturae peccato inherente corruptae principio, sed ob voluntatem Patris, nasci voluerit. Cui eam tandem obedientiam quoque praestitit, vt mortem ipsam, & mortem crucis quidem, insigni hominum & angelorum spectaculo subierit. Qui quidem extremus humiliacionis CHRISTI gradus exstitit.

Quis autem, tam insignem & infinitam gloriam & maiestatem, qualis summa & diuina prorsus CHRISTVM post haec exceptit, eum tam extreme exinanitum & abiectum sequi potuisse, & omnino sequuturam, umquam sperasset, vel animo etiam sibi conceperisset? Tam mirabilem itaque ex multa calamitate ad aeternum honorem patere viam, Paulus exemplo CHRISTI, τῆς ζωῆς ἀξιηγῆς, nunc porro condocet v. 9. Διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπέρεψε. Particula διὸ non inuoluit caussam aliquam meritoriam, quoniam CHRISTVS, qua DEVIS, iam omnia habuit; qua homo autem seorsim consideratus nihil mereri potuit. Ad pactum itaque Patris cum Filio initum, vi cuius huic, humanum genus redimere spondenti, regnum cum diuina gloria a Patre promissum est, illa respicit, ita vt, quemadmodum secundum pactum istud omne mandatum Patris Filius exequutus esset, ita, eiusdem pacti vigore ac promissione, omnem gloriae diuinae usum Patrem concedere oporteret, Luc. XXII, 29. Ief. LIII, 10. seqq. Neque tamen Pater solum CHRISTVM ad gloriam euexit, sed Filius etiam, qui vi-
vno-

vniuersitatis personalis eamdem iam possidebat, ipse tempore constituto eamdem occupauit. Quanta autem sit ac cogitari debeat maiestas illa, vox ὑπερέψυχος declarat, qua eiusmodi gloriae participatio designatur, in qua nulla res condita CHRISTO aequiparanda sit, & ne angeli quidem vlla cum ipso contendи ratione queant, Hebr. I, 4. sqq. Ipse igitur vhus plenarius omnium attributorum diuinorum, quorum iam ab initio possessione gaudebat, indigitatur: id quod ad regnum & ecclesiam suam cum virtute administrandam omnino requirebatur. Atque hoc, quod vno verbo Paulus complectitur, iam in sequentibus vberius explicat: Καὶ ἐξαγιτάρω αὐτῷ ὄνους τὸ ἵνας πᾶν ὄνους, ἵνα u. τ. λ. Non nudum hic nomen; sed rem ipsam, virtutem, auctoritatem & imperium, quae sub nomine latent, intelligi, placum est: quemadmodum nomina omnia, quae CHRISTO, Filio DEI, hominumque Redemptori, tribuuntur, qualia sunt Χριστός, Θεός, Κύριος, Messias, Iesus, cet. summam & diuinam gloriam potestatem inuoluunt & connotant. Ier. XXIII, 6. Act. III, 12. Nomen itaque super omne nomen CHRISTO concessum, ut pote in quo omnes res conditae genu flectere, eidemque se subiicere debent, nihil aliud quam regnum & imperium in vniuersum mundum, in primisque ecclesiam, CHRISTO a Patre traditum significat, sic ut ipse de se fateatur: *Mibi data est omnis potestas in caelis & in terra*, Matth. XXVIII, 18. Triplex autem imperii CHRISTI regnum constituitur, regnum naturae, gratiae & gloriae. Regnum gratiae meritum ipsius, cum omnibus bonis gratiae hominibus conferendum & applicandum, pro fundamento habet. Vnde administratio ipsa conuersione, iustificatione ac regeneratione hominum, illuminatione item ac sanctificatione, nec non creptorum ex omnibus temptationibus conseruatione ad mortem usque in constantia fidei, absoluitur. Vnde fideles tantum & regenniti, regni istius gratiae subditi, longe sunt felicissimi. Hi sunt, qui CHRISTVM, ceu Dominum ac Regem suum inuocantes, ex animo praedican, ac confitentur: *In te haboua iustitiam ac virtutem possidemus*, Ies. XXXXV, 24. Regno gratiae indisolubili vinculo adhaeret regnum naturae & futurae gloriae. Ad primum quod attinet, hoc CHRISTO competit, vt fuos in regno gratiae fideles ab omnibus liberare impedimentis & damno salutis.

B

vt

vt ab insultibus hostium potentissimorum eosdem tueri, vt omnia fieri cedereque in ipsorum salutem commodumque iubere queat. Haec enim, vt ad gloriam sancti perficiantur, omni modo sunt necessaria. Quam propter causam huic Redemptoris imperio DEVS subiecit omnia τὰ ἐπαγάντια καὶ τὰ ἐπίγεια καὶ καταχθόνια, hoc est, omnes incolas caeli, angelosque, homines omnes improbos, qui terram inhabitant, cum rebus reliquis, tam sensu vitaque praeditis, quam inanimatis; angelos denique, malignos etiam, hominesque condemnatos. Eph. I, 20, sqq. Qua quidem ratione CHRISTVS est Κύριος πατέρων. Act. X, 36. Omnia autem, & in primis regnum gratiae, spectant collineantque ad regnum gloriae, velut ad finem ultimum & ad complementum, ubi CHRISTVS cum electis suis, ad omnimodam perfectionem, gloriam & communionem regni sui perductis, absque fine triumphabit, hostibusque ad scabellum pedum suorum proiectis aeternum dominabitur. Tumque, regnum ad omnem Patris voluntatem Filium administrasse & perficisse, palam fiet, ipseque declarabit. 1. Cor. XV, 24. sqq. Patet igitur, qua ratione omnes res conditae subditique probi pariter ac rebelles genu in nomine CHRISTI flexuri, eumque inuocaturi sint: omnes vide-licet agnoscunt & confitebuntur, quod sit Κύριος ἡσπεριῶν, hoc est, verus DEVS ac IEHOVAH, vt LXX voce Κυρίος vtuntur, summusque ecclesiae sue Redemptor, hominumque improborum ac spirituum Dominus atque iudex iustissimus. Quae tandem omnia spectabunt εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρὸς, quippe qui per CHRISTVM & imperium illius glorioſissimum tuum amorem, misericordiam ac benignitatem diuitias ineffabiles, sapientiaeque, iustitiae ac potentiae virtutem cum stupore mirandam, omnium exponet oculis commonstrabitque.

Animaduertite itaque, CIVES Academiae nostrae omnes carissimi, & ipso pretiosissimo CHRISTI sanguine redeinti, qualis ac quantum habeamus apud DEVVM Sacerdotem; & animarum nostrarum Redemptorem. Animaduertite, inquam, quanti & quot lateant in ipso salutis nostrae thesauri. Oculis animoque hoc mysterium considerate, attentiusque ex dictis perpendite. Summum habemus Redemptorem, qui verus homo est pariter ac summus & aeternus DEVS. Verus homo est, quoniam μερφών
δέλτα

δέλε vere adsumit, utpote quae, quamuis eam praeccipue humilem CHRISTI conditionem complectatur, qua seruus DEI hominumque sit factus, ipsam tamen humanam naturam hinc necessario inuoluit simul connotatque. Similis quoque existens hominibus, quoad schema variarum animae corporisque imbecillatum, partes etiam hominis essentiales habuerit necesse est. Nec sane per mortem vim mortis & potentiam diaboli destruere potuisset, nisi, ut infantes, carnis & sanguinis vere particeps extitisset, Ebr. II, 14. Immo somnium foret ipsa CHRISTI exaltatio, nisi ex mortuis vere suscitatus & ad dextram euangelii Patris, humanam naturam omnino retinuisse. Quia de re quum apud nos hodie dubium superesse non possit, aeuo Apostolico tamen ab emotae mentis hominibus hoc negatum fuisse, s. IGNATIVS ep. ad Smyrnaeos §. 2. docet: καὶ ἀληθῶς ἐπαθεν, ὡς καὶ ἀληθῶς αἰνέσθων εἰντονούσι, ὅσπερ ἄπιστοι τινὲς λέγουσιν, τὸ δοκεῖν αὐτὸν πεπονθέναι, αὐτὸν τὸ δοκεῖν ὄντες, κ. τ. λ. Et vere passus est, sicut & vere se ipsum resuscitauit: non, ut quidam infideles dicunt, secundum opinionem ipsum passum esse, ipse secundum opinionem existentes, cet. Verum DEVUM fuisse, κένωσις & euacuatio probat. Qui enim, quam non habuisset, deponere potuisset diuinam maiestatem? Col. II, 9. Quomodo regnum exaltatus occupare & ecclesiam gubernare posset, nisi omniscia & omnipotente virtute atque omnipraesentia praeditus, omnia ubique operaretur ac impleret in omnibus? quod omnino diuinae naturae unionem personalem supponit. Quomodo ut DEVIS denique adorari ab omni re condita absque idolatriae vitio posset, nisi infinitis pollens perfectionibus, cuncta efficere sibiique subiicere valeret? id quod ipsos diuinitatis CHRISTI hostes dissentientes reddit, & confundit magnopere. Videris itaque, talē nos CHRISTVM habere, qui operi redemptionis satis superque sufficiens fuit, qui DEO Patri, ut proprius eiusdem Filius, ut homo innocens sanctissimusque, longe gratissimus fuit, & nos ipsos eidem acceptissimos reddere egregie valuit. Matth. III, 16. 17. Eph. I, 6. Ex quo consilium quoque Patris exacte perficeris, & euellere homines ex omni hostium vi atque potestate potuit. Beati eritis propterea, tanto si nomen dabitis Redemptori, si fide eidem coniungemini, si animo & amore perpetuo illi adhaerebitis. Bene, inquam, vobis aeternum erit.

Etenim hunc inueniens inuenit vitam, & educet beneplacitum a Iesoua. Qui vero peccat contra eumdem, vim facit animae suae: omnes odio habentes ipsum amant mortem. Prov. VIII, 35. 36.

Summum porro in CHRISTO habemus sacerdotem. Totus namque, quounque patuit, status eius exinanitionis, satisfaciendo iustitiae diuinae pro peccatis nostris, inseruit. Ipse enim, peccato culpaque vacuus, quem numquam vitii quid commisifet, vt caeca gens ludaeorum putauit, poenam nullam meruit; sed propter nos, & ob nostras iniquitates, pauper factus, a DEO percussus, mortique traditus fuit, 2 Cor. VII, 9. Ies. LIII, 3. 4. Rom. III, 25. Peccatum videlicet, quoniam legis transgresio est, quam tamen aeterna comitatur & necessaria obligatio, satisfactionem omnino postulauit; debita enim sunt, quae persolui legi & iustitiae diuinae necessario oportet. Quemadmodum vero tum poenam pro admisis facinoribus, tum obedientiam totius futurae vitae lex ab hominibus flagitat; ita per lapsum legisque transgressionem debitor & poenae & obsequii homo factus est. Hinc ergo exstitit, quod satisfactione CHRISTI pro nobis praestita obedientiam & actiuam & passiuam complectetur, quodque tam implendo legem, quam poenas debitas sustinendo, nostri quae officii fuissent, expleret. Gal. III, 4. 5. Rom. VIII, 3. 4. Patet igitur, CHRISTVM satisfactionem pro nobis & nostro loco DEO Patri exacte obtulisse. Perfecta namque omnium impletio, quae iudex pro iniquitate abolenda ad legis iustitiaeque normam exigit, proprie satisfactione forensis dicitur. CHRISTVM autem, quae summus iudex, DEVIS, vi legis & iustitiae suae exposceret, impleuisse, iam comprobatum est. Et si verum est, quod adversarii volunt, exemplum tantummodo, quod sequerentur, hominibus CHRISTVM exstissem, cur Prophetarum, Apostolorum, aliorumque hominum sanctissimorum post & ante CHRISTVM, non suffecerunt? cur verum DEVIM eum esse simul oportuit? cur mortem pati necesse fuit? Recte BERNHARDVS de laude nouae militiae cap. X. Vita CHRISTI vivendi mihi regula exstisit, mors a morte redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit. Et paullo post: Moriendo meam mortem securam reddidit. Nostro loco autem satisfactionem a CHRISTO efficiam, ex eo, quoniam ipse peccati expers fuit, consequitur. Nam

si non ob sua, sed ob nostra peccata passus est, etiam nostro loco illum DEO fecisse satis, simul euincitur. Hinc Paulus: *Si unus pro omnibus mortuus est, omnes igitur mortui sunt; 2 Cor. V, 14.* & CHRISTVS ipse se dicit venisse, vt det animam suam ἀνθρώπῳ. Sed quam egregia, perfecta & numeris omnibus absolta isthaec satisfactio sit, nunc animo voluamus. Persona satisfaciens non homo tantum, sed & ipse DEVS est; vnde redemptionis opus consummatisimum, & ἀντετοι infinitum prouersus, nullisque emetiendum terminis, merito censendum est. *Io. III, 16.* Fundamentum deinceps non sua, sed aliena, hominum scilicet, peccata fuerunt, ex quo valor eximius ex innocentia sanctitateque satisfactioni CHRISTI additur. *Hebr. III, 15.* Praeclare idem, quem modo laudauimus, BERNHARDVS: *Qui mori, inquit, pro se non habet, numquid pro alio frustra debet? Quanto sane indignius moritur, qui mortem non meruit, tanto is iustius, pro quo moritur, vivit.* I. c. cap. XI. Insignis tandem obedientiae actiuae pariter ac passiuae perfectio meriti CHRISTI quoque perfectioREM plane admirandam prodit. Quid ergo magis eminentiusque DEO placuerit isthoc sacrificio praestantissimo IESV CHRISTI? Omnem omnino iudicauit ac delectationem, sumnumque quietis odorem illum in eodem reperire, necesse est, Matth. III, 17. Eph. V, 2. Atque id quidem uberrime manifestum fecit, dum CHRISTVM ex mortuis fuscitatum ad dextram suam collocavit, & ecclesiae heredem regemque constituit. In quo caussae nostrae praesidium versari longe firmisimum inuictumque, Paulus omnibus, qui credunt, exultans adclamat Rom. VIII, 34. Omnia igitur totius mundi peccata CHRISTI sanguis & sepulcrum absorbuerunt. *1 Io. II, 2.* Nemini nunc aditus ad salutem praeclusus; nemini, qui sibi ipse impedimenta non ponit, seque ipse a salutis tam insigni beneficio excludit. Venite ergo omnes, quotquot legitis haecce, venite ad fontem iustitiae, quam satisfactio CHRISTI aeternam & vt pretiosissimam iustitiae ac perfectionis vestem offert. Offertur simul peccatorum vestrorum omnisque iniuritatis sempiterna remisio, Rom. III, 25. *2 Cor. V, 19. 20.* Offeruntur cum gratia diuina omnes gratiae ac salutis diuinitiae & thesauri, pax cum DEO, & a morte redemptio, conscientiae summa tranquillitas, cordisque gaudium

nullo tempore desitum, hereditasque cum aeterna gloria spe
firma obtinenda in perpetuum. Offert se vobis ipse DEVS, ve-
strum summum vnicumque bonum; offert se CHRISTVS, fons
aeternae vitae; offert se Spiritus sanctus, ceu pignus in sigillum
duraturae aeternum hereditatis. Qui ergo sit, venito, & qui
vult, sumito aquam vitae gratis, Apoc. XXII, 17.

Ast etiam, quomodo vos deceat velle, quomodo venire
oporteat, simul & in primis attendite. Habemus & talem de-
nique Redemptorem, qui vt sacerdotio pro nobis praestantissimo
fungitur; ita summus propheta quoque, potentissimusque rex
est. Quodsi enim meritum CHRISTI vsui nobis venire debet,
opus est, partim vt ad agnitionem veritatis & euangelii, myste-
riis resertissimi, perueniamus, partim vt ordinem, quo DEVS
nos tantae salutis vult esse participes, mente in melius mutan-
da, ingrediamur. Vtrumque non magis in hominis positum est
viribus, quam ipsum negotium satisfactionis. Quam propter
causam CHRISTVM prophetam esse oportuit, qui ex sinu Pa-
tris omne eius consilium de salutis nostrae ratione exponeret.
Io. I, 18. Hinc & lux hominum est, in tenebris adparens, qua
o m n e m h o m i n e m i l l u m i n a t i n m u n d u m v e n i e n t e m , v . 4 . 5 . 9 . Hinc
per Apostolos etiam doctrinam vitae longe lateque dissemina-
tam scriptis ad nos quoque transferre voluit. 2Cor. V, 19. sqq.
Immo exemplo suo innocentissimo, quam viam incedere debea-
mus, nos erudituit, eoque ipso, quam docuit, doctrinam egre-
gie confirmauit. Hic ergo maximus ille propheta est, quem
qui audiuerit, vitam confequetur, qui non audiuerit, exscin-
detur ex populo, Act. III, 22. 23. Verumtamen mens sibi reli-
cta, intime corrupta ac depravata, quum nec cognoscere doctri-
nam CHRISTI salutariter, nec velle aut perfidere decreta Nu-
minis valeat; 1 Cor. II, 14. Phil. II, 13, immo quum tenebrarum
mortisque, mundi & diaboli, hostium furiosissimorum, viacu-
lis constricta & captiva teneatur: hinc Seruator optimus, rex
quoque factus, e manu hostium nostrorum nos eripere potest,
virtute inque largiri, vt seruire DEO in iustitia & sanctitate per
omnem vitam valeamus. Luc. I, 74. 75. Consideremus itaque,
qua ratione per CHRISTVM iustitia roburque nobis diuinitus
conce-

concedatur, quomodo nobis sapientia, iustitia, cum sanctifica-
tione & redēptione saecūlū sit. Ex satisfactionis, quam pro no-
bis praeſtitit, ratione manifestum est, non alio modo, quam
per imputationem, eamdem nostram fieri posse. Hinc DEVS
imputat iustitiam sine operibus ; hinc propter CHRISTVM
peccata gratis hominibus remittuntur. Rom. III, 6.7. c. III, 24.25.
Quod tamen si fieri debet, necesse est, vt cum CHRISTO con-
iunganur, vt iustitiae eiusdem veste induiti, velut vna in iudicio
diuino persona compareamus. Vnde iis, qui sunt in CHRISTO,
~~zdei nūlāquā~~ contingere dicitur, Rom. VIII, 1. Haec vero cum
Christo coniunctio communioque non nisi per fidei adprehen-
ſionem efficitur, vi cuius & promissiones omnes gratiae euange-
liique adquiruntur. Io. I, 12. Gal. III, 14. 26. Ex quo fides etiam
imputari in iustitiam dicitur Rom. III, 5. 9. Quemadmodum vero
cum ista iustitia CHRISTI in ipsis DEI communionem, tamquam
filius & aeternae hereditatis confors, homo fidelis venit ; ita men-
tis quoque emendatio veraque cordis sanctimonīa ad salutis
ordinem omnino requiruntur. Fieri namque non potest, vt
in homine inhabitare DEVS possit, qui prauis cupiditatibus, re-
rumque conditarum impuro amore ferrur, seruumque peccati
hostiumque regni CHRISTI se esse patitur. Itaque, sicut
DEVS ipse sanctus est ; ita hominem quoque sanctum oportet
esse, nec sine sanctimonīa sincero studio faciem videre eius cui-
quam continget. 1 Petr. I, 16. Hebr. XII, 14. Hinc &, qui per
fidem in CHRISTVM ab omni damnationis iudicio immunes
exſiſtunt, & ἐξοστῶ filiorum DEI consequuti ſunt, ſimul ex DEO
natos oportet esse, nec ambulare ſecundum carnem, ſed ſe-
cundum ſpiritum. His fundamentis itaque ordo salutis innititur, vi
cuius iustitia imputata cum inhaerente, fides cum conuerſione
& regeneratione, vt & sincero perpetuoque sanctimonīae stu-
dio, vinculo arctissimo indiſtolubiliqe cohaeret. Non potest
ergo iustitiae & salutis in CHRISTO particeps exſiſtere, qui
mentem induere nouam, animumque peccati ſordibus expur-
gare, ſecum ferio non constituit. Quamquam, qui iustitiae
huius gloriam, ſalutisque admirandam prorsus & eminentem
abundantiam vel primis labiis deguſtat, virtutemque mortis ac
refur-

resurrectionis insignem percipit, sua sponte ut CHRISTVM lucifaciatur, peccati deseret quisquilius, cunctaque, quibus se mundus delectat, pro damno reputabit. Et in hoc quidem CHRISTVS ceu regem se egregie demonstrat, quod haec omnia, quae ad ordinem salutis spectant, pollenti sua potentia & virtute in nobis efficere posit, ita quidem, ut, quamuis sine CHRISTO homo nihil omnino valeat, Io. XV, 5. tamen cum isto efficere omnia possit. Phil. IIII, 13. Hinc fidem dare potest, quem sit dux fidei & consummator. Hebr. XII, 2. P. P. in Feriis Paschalibus, Anno clo Io CCXXXIII.



Ja 1586

ULB Halle
001 508 687

3



VDN8

St

VDN7

inches

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
8

Centimetres

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
8

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

S

POGR.

c.c.

m,
m,

NCTO,

, NTT.

RE,

**IESVM C***Ob peccata quidem
Ob iustitiam vero*

ex Phil.

INT

IO. LIBORIO

S. THEO

NUPER PIE, SED EHEV! ACA

PRO

D. IOAN. HE

S. THEOL VT ET LIN

PRO

CANCELLAI
TOTOQVE SI

ACADEMI

PASCHAL

PIE

PROPONI

HAL

TYPIS IOAN. CHRISTI